retractatio non sine acerbitate quadam iuvat. Quis autem negaverit haec acria quoque et habentia austeritatis aliquid stomachum excitare?" Ego non idem sentio: mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est; habui enim illos tamquam amissurus, amisi tamquam habeam.

Fac ergo, mi Lucili, quod aequitatem tuam decet, desine beneficium fortunae male interpretari: abstulit, sed dedit.

Seneca, Epistulae Morales ad Lucilium 63.1-7

Tekst 2

Cicero is ontroostbaar.

Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis ut omnia; sed me mihi non defuisse tu testis es. Nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est quod ego non domi tuae legerim. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer. Quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. Adfirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo, non quo proficiam quid sed tantisper impedior — non equidem satis (vis enim urget), — sed relaxor tamen, omniaque nitor non ad animum sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum, idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse nisi faciam. Solitudo aliquid adiuvat, sed multo plus proficeret si tu tamen interesses. Quae mihi una causa est hinc discedendi; nam pro malis recte habebat. Quamquam ⟨id⟩ ipsum doleo. Non enim iam in me idem esse poteris. Perierunt illa quae amabas.

De Bruti ad me litteris scripsi ad te antea. Prudenter scriptae, sed nihil quod me adiuvaret. Quod ad te scripsit id vellem, ut ipse adesset. Certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adiuvaret.

Cicero, Ad Atticum 12.14.3-4